



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XLI. Commendæ. Agitur de Jurisdictione Commendatarii in
Monasterium Commendatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM XLI.

In Cauſa Commendæ, & Jurisdictionis
per eam conceſſæ.

SUMMARIUM.

1. 2. Facti Species.
3. Controverſia de Receptione Novitiorum.
4. A quonam Novitii admitti poſſint, deducendum eſt ex Conſtitutionibus cujuſlibet Religionis.
5. In præſenti Caſu requirendus videtur Conſenſus Præpoſiti Commendatarii.
6. Defectus Ordinis Regularis ſuppletur per Diſpenſationem Pontificiam.
7. 8. Actus priores non cenſentur fuiſſe mera facultatis, ſed ſufficientes ad inducendam Præſcriptionem.
9. Seqq. Jurisdictioni Commendatarii non obſtat Bulla Sixti V. aut Innocentii X.
12. Quæ non intelligenda ſunt de Commendis perpetuis.
13. Notatur Lezana.
14. Ampliſſima poteſtas à Pontifice collata eſt.
15. Ex cujuſ Bullæ deducuntur valida argumenta.
16. Obſervantia eſt Conceſſionum dubiarum optima interpret.
17. Jurisdictionem quoad Diſciplinam Regularem competere Commendatario in Caſu ſupplenda Negligentia, eſt extra dubium.
18. Eadem competit extra caſum Negligentia.
19. 20. Differentia Monafteriorum, quæ ſubjacent Generali vel Provinciali, & aliorum, quæ ſingulariter reguntur.
21. Clauſula pleno Jure importat Adminiſtrationem ſine Diminutione.
22. Præjudicia Jurisdictionis pro Commendatariis.
23. 24. Præjudicia in Eccleſia Quaſtionis.
25. Unde ſi aliàs non competeret, legitime præſcripta eſſet Jurisdictionis.

FACTI SPECIES.

An te plures jam annos DD. Canonici Principalis Eccleſiæ B. ſub Regula S. Auguſtini in Coadjutorem Præpoſituræ ſuæ, quam tunc in Commendam habebat Sereniſſimus Princeps M. poſtularunt Sereniſſimum C. jam antea geminæ Eccleſiæ Episcopum. Hanc Poſtulationem Innocentius Papa XI. Sanct. mem. Bullâ editâ 24. Decembr. 1687. ut Monafterii prædicti (ſunt verba Bullæ) utilitati, & quieti conſuleret, ampliſſimis verbis confirmavit, ita quidem, ut laudatus Sereniſſimus Dux in caſum, ſi Præpoſiturâ ſibi commendatâ cederet, vel decederet Sereniſſimus Anteceſſor, Monafterii hujus Regiminis, & Adminiſtrationis, ac Bonorum Poſſeſſionem, ſeu quaſi, abſque alia Commenda deſuper faciendâ liberè apprehendere --- Præpoſituram præſatam --- cum annexis omnibus Juribus, & perimentis ſuis, Jurisdictionibusque, & membris univerſis --- etiam unâ cum præſatis Eccleſiis Cathedralibus, cæterisque Beneficiis Eccleſiaſticis --- antè habitis --- tenere, eamque, & ipſum Monafterium pleno Jure --- in Spirituâlibus, & temporalibus regere, & gubernare liberè, & licitè valeat. In ordine ad quem finem idem Pontifex cum eodem Sereniſſimo in Bullâ prædictâ diſpenſavit, ne propria Habitum per Canonicos dicti Monafterii geſtari ſolitum ſuſcipere, aut Profeſſionem per eos emitti conſuetam emittere teneatur.

R. P. Schmalzgrueber Conſil. Tom. I.

Quæritur jam, utrum memoratus Sereniſſimus vi Bullæ iſtius, & verborum illius hic allegatorum ingerere ſeſe poſſit etiam quoad ea, quæ Diſciplinam Regularem Monafterii prædicti concernunt: nominatim, an Receptio Novitiorum fieri poſſit à ſolo Capitulo, an verò inſuper requiri debeat Conſenſus Sereniſſimi. Super Controverſis inter eundem Sereniſſimum, & Capitulum B. exorriſ, ſapienter exquisitum fuit Judicium noſtri Authoris: tria diverſis temporibus data Reſponſa hoc loco conjungimus, quorum primum de Sereniſſimi Conſenſu in Receptionem Novitiorum: ſecundum de Jurisdictione ejuſdem, quoad Diſciplinam Regularem agit. Tertium Declarationem hujus ſecundi Reſponſi continet. Sic igitur

QUÆSTIO I.

An Capitulares Eccleſiæ Regularis B. in Receptione Novitiorum requirere debeant Conſenſum Præpoſiti ſui Commendatarii?

SI Conſuetudo reſpiciatur, hætenus ſemper Receptio iſta in Conſenſu utriusque ſtetit, ſcilicet Capituli, & Præpoſiti. Ad quam proinde Conſuetudinem Sereniſſimus provocat: Capitulum verò contrâ opponit, quod Conſenſum Sereniſſimi tantum Reverentiæ, & Honoris, non Neceſſitatis cauſâ requiſerit.

In hac re certum eſt apud Doctores, ut

B b b

legi-

2.

3.

4.

legitima, & valida sit Receptio ista, ex parte Recipientis Novitium necessarium esse, ut ille habeat auctoritatem, & potestatem sufficientem ad illum admittendum, ita quidem, ut si ab alio fiat, qui potestate ista est destitutus, Receptio valore careat, & ingressus sit nullus.

Palao *tr.* 16. D. 1. p. 8. n. 13.

Non enim Religio probari à Novitio potest, quin prius ab ea admittatur, ut eum probet. Non autem censetur admitti à Religione, qui admittitur ab eo, cui ipsa potestatem admittendi non dedit: ergo &c. A quonam autem in particulari Novitii admitti possint, & debeant, nihil est jure cautum: hinc idem Palao *l. cit.* monet, hoc ex Constitutionibus cujuslibet Religionis, ejusque usu, & stylo deducendum esse.

5.

In presenti Casu judico, necessarium esse Consensum Serenissimi. 1. Quia hic Consensus hætenus semper fuit requisitus, qui præsumitur non fuisse requirendus, si requiri non debuisset; neque enim requisitio hæc inter actus meræ facultatis censi debet, cum præjudiciosa esse, & si per tempus à Jure præscriptum iterata sit, parere præscriptionem soleat, sicut præscriptione paritur Jus eligendi, quando extraneus scientibus & patientibus Capitularibus admittitur ad Electionem Episcopi, vel Prælati. 2. In quolibet actu legitimo principium generale est, quod interrogandi sint omnes, quorum interest: & ob hanc causam ad Electionem vocandi sunt Capitulares omnes, qui Electioni interesse debent, possunt, & volunt; quia singulorum interest, quodnam sit Caput Ecclesiæ. Atqui plurimum etiam interest Serenissimi, ut ille sciat, quales Novitii ad Ecclesiam Quæstionis recipiantur, & ad Professionem admittantur: ergo &c. 3. In Casu presenti specialis est ratio, ob quam valde utile, imò necessarium omnino est, ut sine Consensu Serenissimi nullus admittatur ad Novitiatum, ob plura inconvenientia, quæ alias in detrimentum Ecclesiæ sequi possent.

6.

Neque obstat 1. Quod Serenissimus Ordinem Canonicorum Regularium, quales Capitulares B. sunt, non profiteatur; quia idem Serenissimus Præposituram istam obtinuit à Pontifice, per Dispensationem suam supplente omnes defectus, adeoque etiam defectum Ordinis Regularis, qui proinde amplius obesse non potest. Sicut ergo si Præpositus esset Regularis, indubitato ad Novitiorum susceptionem requireretur istius Consensus, ita post Dispensationem cum tali clausula factam requiri debebit in Casu presenti Consensus Serenissimi. Et hinc quia fortè cum simili clausula Celsissimus Constantiensis Ecclesiam Canonicorum Regularium Oeningensem obtinet; in hac Ecclesia nullus admittitur Novitius, nisi cum ejusdem Celsissimi Consensu.

7.

Non obstat 2. Quod Capitulum dicat,

Consensum Serenissimi à se tantum Reverentiæ & honoris, non necessitatis causâ requisitum: & sic eam petitionem Consensus solum fuisse actum meræ facultatis, & voluntatis: sicut meræ facultatis, & libertatis est invitare aliquem ad prandium, quæ invitatio etiam si centies, & pluribus annis constanter fiat, nihilominus ita invitatus Jus mensæ nullum ex hoc potest prætere, Nam distingui debet inter actus, quorum frequentatio parere præscriptionem solet, & inter illos, ex quorum frequentatione nulla colligi solet Juris Præscriptio. Posterioribus accensetur invitatio ad mensam; nam quantumcunque quis invitatus fuerit, ex hoc tamen nemo colligit, quod ille Jus mensæ Præscriptione sit consecutus. Contra inter priores est petitio Consensus in Receptione Novitiorum; nam ex hac sæpius frequentata, sicut ex admissione ad Electionem sine protestatione facta, in possessione Juris quis constituitur. Consequenter Præsumptio est hanc petitionem non fuisse actum meræ facultatis: & sic Præsumptio tenebit, quamdiu contrariis argumentis contrarium non ostenditur.

Ratio Rationis, & disparitas inter invitationem ad mensam ex una, & petitionem Consensus in Receptione Novitiorum, & admissionem extranei ad Electionem ex altera parte est; quia actus in dubio censetur celebrari juxta modum passim alias inter homines usitatum. Atqui ex modo inter homines usitato invitatio ad mensam exerceri liberè, & absque obligatione solet, petitio autem Consensus ad Receptionem Novitiorum, & admissio ad Electionem non solet fieri liberè, sed si tantum admittitur ad Electionem celebrandam, qui Jus habent eligendi, & ab iis petitur Consensus ad Receptionem Novitiorum, à quorum Auctoritate Receptio ista pendet: ergo in dubio invitatio ad mensam censi debet esse actus meræ facultatis; Admissio vero ad Electionem, & requisitio Consensus in Receptione Novitiorum actus debitus.

QUÆSTIO II.

Utrum Serenissimus Commendataris ingerere sese possit etiam quoad ea, quæ Disciplinam Regularem Monasterii commendati concernunt?

Obstare præcipue videtur Bulla S. Pij V. edita 1563. ubi Commendataris prohibetur exercitium Jurisdictionis in Monasteria sibi commendata, & eorum Monachos. Quam Bullam confirmavit Innocentius X. per aliam Bullam editam 25. Sept. 1654. ubi quoad eosdem Commendatarios statuit, non posse facultates, illis in Literis Apostolicis concessas, & exptessas, ad ea, quæ Institutum Regulare concernunt,

& S. Concilii Dispositione Monastico Regimini relinquuntur, trahi.

Sed Bullæ istæ imprimis tantum loquuntur de Monasteriis Ordinis Cisterciensis commendatis, juxta cujus Ordinis Privilegia Commendatarii nullam quoad eorum Monachos exercere Jurisdictionem possunt, sed Visitatio ad Abbatem Cistercii, & quatuor Primores, quemlibet in sua generatione pertinent: quod Privilegium proin dicti duo Summi Pontifices eidem Ordini confirmant. Cum igitur Canonici B. in Privilegiis cum Cisterciensibus non communicent, ad ipsos Constitutiones istæ extendi non debent.

Neque obstat, quod Innocentius in allegata sua Bulla se referat ad Trid. Sess. 25. c. 20. de Regular. ubi S. Synodus cum extensione ad alios etiam Ordines loquitur; nam extensio ista tanta non est, ut DD. Canonici B. hac includantur: disponit enim ibi S. Synodus de Commendatis Monasteriis, quæ sunt Capita Ordinum, vel Ordinum suorum Capitibus subsunt, ut ab Ordinum Visitatoribus exerceatur eorum Visitatio: in quo (quod bene notandum est) laudata Synodus hujusmodi Monasteria non vult esse comprehensa quoad ea, quæ alias

nempe Sess. 21. c. 8. de Reform.

de Visitatione Monasteriorum Commendatarum definita sunt. Cum igitur Canonici B. nec sit Caput Ordinis Canonici, nec subsit Capitulum Ordinis, nec Trid. nec Constitutio cit. ad illud se referens eidem proderit, sed potius subiacebit dispositioni ejusdem Concilii c. 8. cit.

Etposito etiam, sed non concessio, quod dicta Constitutio adeo largè accipienda sit, ut Monasteria quæcunque comprehendat; non tamen illa videtur intelligi posse de Monasteriis quomodocunque Commendatis, & de quibuscunque Commendis, sed solum de Temporalibus, quæ solæ propriè Commendæ sunt: idque ex Regula communiter recepta, quod verba Dispositionis cujuscunque propriè accipienda sint. Ex quo duci sequens Argumentum potest. In præsentī casu Serenissimus C. habet Commendam perpetuam: Commenda autem perpetua propriè Commenda non est, sed magis participat de Titulo, & eam habentes quoad omnia Jura pertinentia ad Administrationem Titularibus æquiparantur, ut proin, sicut Titulares, ita & ipsi liberam potestatem tam in Temporalibus, quam in Spiritualibus habeant, nisi quatenus expressè in eadem Commenda, vel ad partes illius est ademptum. Non est autem ademptum in Commenda Serenissimo facta Jus ingerendi se quoad ea, quæ ad Disciplinam Regularem pertinent, præsertim in casu; quando Superior, qui eam Disciplinæ hujus immediatam habet; in hac procuranda est negligens: igitur vi Commendæ sibi factæ Serenissimus ingerere se se potest, nec obstat ipsi aut Bulla

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 4

Innocentiana, aut Dispositio Trid. cit.

Vult quidem

Lezana consult. 57. n. 22. & 23. potestatem istam generalem, quæ dari solet Commendatariis, administrandi Monasteria sibi commendata quoad Temporalia simul, & Spiritualia, intelligendam cum limitatione, ita, ut comprehendat solum ea, quæ conducunt ad munus, & Officium Commendatariorum, scilicet ut sint Custodes, & Defensores Monasteriorum sibi commendatarum; neutiquam verò extendi posse ad ea, quæ spectant ad Disciplinam, & Observantias Regulares. Sed hæc Lezanæ Doctrina videtur opponi communi DD.; nam juxta horum Sententiam Commendatarii perpetui possunt facere, quæ possunt facere Titulares, iis solum exceptis, quæ in Literis Commendatariis expressè adempta sunt: atqui Titularis Præpositus, si aliquis in Canonici B. existeret, posset se ingerere quoad ea, quæ Disciplinam Regularem concernunt, neque ista excipiuntur in Literis Apostolicis, quibus Serenissimus datus est Serenissimo Antecessori suo Coadjutor, & in eventum vacaturæ ipsa Commenda. Igitur nihil obstat, quo minus eandem potestatem sibi vindicet Serenissimus.

Imò ex iisdem Literis Apostolicis videtur clarè colligi, quod hæc fuerit mens Pontificis, Serenissimo concedentis Commendam dicti Monasterii, ut illud, saltem in casu, quo Superior Regularis immediatus id negligeret facere, regeret, & gubernaret etiam quoad ea, quæ Disciplinam Regularem concernunt. Patet ex verbis ejusdem Bullæ Apostolicæ ibi: *Hujusmodi Monasterium, & ejus Præposituram præsertim - - cum annexis hujusmodi, ac omnibus Juribus, & pertinentiis suis, Jurisdictionibusque, & membris universis tibi ex nunc prout ex tunc, & econtra - - per te, quoad vixeris, - - regere, & gubernare - - indulgemus, - - & commendamus, illamque Tibi Commendam, atque ex nunc, prout ex tunc plenum Jus Tibi in Regimine, & Administratione prædictis verè, & non fictè acquiruntur existere, Teque solam prædicta Præpositura Possessionem actualem, ac illius fructuum, reddituum, & proventuum perceptionem expectare - - decernimus, Curam, & Administrationem dicti Monasterii, & Præposituram Tibi in Spiritualibus, & Temporalibus regere, & gubernare, dictamque Præposituram, cum vacaverit, ut petitur, recipere, & in hujusmodi Commendam, quoad vixeris, retinere libere, & licitè valeas, nec propterea Habitum per Canonicos dicti Monasterii gestari solitum suscipere, neque Professionem per eos emitti consuetam, emitte tenearis, dispensamus.*

Ex quibus verbis notandum est 1. Quod per eandem Literas Serenissimo Monasterium, & Præpositura prædicta concessa sit cum annexis Juribus, Pertinentiis, Jurisdi-

Bbb a

ctioni-

10.

11.

12.

13.

13.

14.

15.

tionibus; & Membris universis. Fuit autem inter hæc Jura, Pertinentias, & Jurisdictiones, quibus gavisi sunt antehac Præpositi Regulares, etiam potestas invigilandi quoad ea, quæ Disciplinam Regularem concernunt. Ergo & ista per eas Literas tradita cenferi debet. 2. In iisdem Literis dicitur, ipsi Serenissimo per hanc Pontificiam Commendationem Plenum Jus in Regimine, & Administratione verè, & non fictè acquiritum existere, ita, ut solam Præposituræ prædictæ, dum eam Serenissimus Antecessor in Commendam obtinet, Possessionem actualem, ac illius fructuum, & proventuum perceptionem expectare debeat. Atqui hoc Jus non plenum, sed admodum limitatum esset, si Serenissimus quoad ea, quæ Disciplinam Regularem spectant, saltem ubi in hac procuranda aliqua in Superiore Regulari immediato inventitur negligentia, senon posset ingerere; sic enim jam non posset omnia, quæ Præpositi Regulares Antecessores poterant. Ergo &c. 3. Per dictas Literas Serenissimo in Casum, quo Serenissimus Antecessor Præposituræ prædictæ cesserit, vel decesserit, à Pontifice traditur Regimen, & Gubernatio Monasterii, & Præposituræ prædictæ in Spiritualibus simul, & Temporalibus. Atqui ad Regimen in Spiritualibus Monasteriorum, & Præpositurarum Regularium etiam pertinet Cura Disciplinæ Regularis. Igitur ista quoque, saltem pro casu, quo Superior Regularis immediatus in ea defecerit, Serenissimo est commissa. 4. In memoratis Literis cum Serenissimo dispensatur, ne propterea Habitum per Canonicos dicti Monasterii gestari solitum suscipere, aut Professionem, per eos emitti consuetam, emittere teneatur. Atqui Dispensationis istius nulla fuisset necessitas, vel utilitas, si Serenissimo tantum Cura, & Administratio fuisset commissa quoad ea, quæ ad Disciplinam Regularem non pertinent; nam quoad hæc ex parte Serenissimi, utpote jam antea constituti in Ordine Clericali, non fuisset opus Dispensatione, sed impedimentum tantum habebat quoad Curam Disciplinæ Regularis, utpote Ordini Religioso, quem Canonici B. profitentur, non adscriptus. 5. Ut in principio Bullæ dicitur, Commenda Serenissimo facta est, ut Monasterii prædicti utilitati, & quieti consuleretur. Non autem cederet Commenda hæc in utilitatem, & quietem illius, si Serenissimo Commendatario, saltem in Casu, quo, uti dictum est, Superior Regularis immediatus in procuranda Disciplina Regulari est negligens, non liceret negligentiam istius supplere, & collapsam Disciplinam restituere: imò per hoc constitutum fuisset Monasterium prædictum in Statu, & Conditione deteriori; quia ob Exemptionem, quæ gaudet, à Jurisdictione Ordinarii, in casu dictæ negligentie recurrendum esset ad Summum Pont.

utpote qui solus post Superiorem Regularem immediatum esset Superior mediatus. Recursus autem ad Summum Pont. in Casu, qui sæpe evenire potest, est difficilis, & sumptuosus ob locorum distantiam.

DICENDUM ergo ad Questionem propositam, Serenissimum vi Bullæ sapius memoratæ, & verborum illius superius allegatorum posse etiam quoad ea, quæ Disciplinam Regularem Canonice B. concernunt, sese ingerere; id enim hæctenus dicta, satis ostendunt. Confirmatur; quia sic à Sæculo, & ultra à Serenissimo, ejusque Prædecessoribus Serenissimis usque ad novissimam hæc tempora practicum est, quo toto tempore fuerunt in possessione non interrupta potestatis omnia ordinandi, & disponendi, quæ vel pro stabilienda, vel reducenda Disciplina Regulari idonea judicantur. Est autem consuetudo, ut Legum, ita & Concessionum dubiarum optima Interpretes, ut proin etiam in præsentis Casu Concessio Pontificia, quæ Serenissimo Præpositura Questionis est commendata, benignius, ampliusque explicari, & potestas per eam data etiam quoad pertinentia ad Disciplinam Regularem intelligi debeat.

ANNOTATIONES

Ad Responsum supra positum.

IN hac Resolutione, dum Serenissimo C. adstruxi Potestatem ingerendi se etiam quoad ea, quæ ad Disciplinam Regularem pertinent, sapius adjeci Verba: *Præsertim si Superior Regularis in hac conservanda, vel restituenda sit negligens, & similia*: cujus adjectionis ea mihi ratio fuit, non quòd dubitarem, an laudato Serenissimo extra casum negligentie competat hæc Jurisdictio quoad Dominos Canonicos B. sed ut Casum indisputabilem distinguerem à Casu in præsentis Controversia disputato. Nec enim negari potest, quòd in casu, quo Superior immediatus Regularis circa Disciplinam Regularem aut conservandam, aut restituendam Officium suum negligit, Serenissimus C. se ingerere possit, & negligentiam istam supplere; hoc enim de Jure communi potest quivis Episcopus, & Jurisdictionem quasi Episcopalem circa Monasterium sibi subiectum, & Subditos ejus exercens. Igitur cum Serenissimo Jurisdictio quasi Episcopalis in Ecclesiam B. & membra illius indubitato competat, etiam Ipsi Jus negligentiam Superioris Regularis immediati corrigendi negari non potest.

Quòd verò etiam extra casum negligentie quoad ea, quæ Disciplinam Regularem in Monasterio B. concernunt, ingerere sese memoratus Serenissimus possit, firmissimæ rationes probant. Et I. Quidem, quia

hic est præcipuus effectus Commendæ perpetuæ; cum enim Commendatarii perpetui quoad omnia ferè æquiparentur Titularibus, & verè Commendatam sibi Ecclesiam, vel Monasterium obtinere dicantur in Titulum, ita ut verè Prælati proprii talis Monasterii, vel Ecclesiæ dici possint, & circa hos disposita, ita notante

Rotâ in Acherunt. fruct. 2. Decembr. 1591. coram Domino Card. Hieronymo Pamphilio.

etiam de Commendatariis perpetuis intelligi debeant, consecræneum omnino est, ut sicut Prælati Titulares, ita & ipsi Commendatarii perpetui, quippe qui Prælati proprii talis Ecclesiæ & ipsi sunt

Arg. can. relatio. §. ibi. ut Sacerdos proprius. caus. 21. q. 1.

liberam administrationem, & Jura omnia, sicut Titulares exercent, nisi quatenus expressè in ea Commenda, vel ad partes illis est ademptum, prout cum aliis expressè docent Navar. de Prabend. Conf. 9. Sarnen. in Regul. de trienn. q. §. num. 11. & de Idiom. q. 4. Rebuff. in prax. de Commend. n. 6. & seq. Tambur. de Jur. Abbat. tom. 1. D. 4. q. §. n. 6. Et hoc teste Rota in Acherunt. cit.

Cum ergo in casu præsentis Serenissimo Electori data sit Jurisdictio, & Administratio Ecclesiæ, & Monasterii B. generaliter, neque generalitas hæc in aliquo sit limitata, aut ademptum quidquam ad Jurisdictionem plenam, & omnimodam Administrationem pertinens, neuiquam asferenda est aliqua limitatio, sed tota Jurisdictio, quâ olim Præpositi Regulares circa Ecclesiam illam, & Canonicos B. gaudebant, sine exceptione adstruenda Serenissimo. Gaudebant autem illi potestate se ingerendi quoad ea, quæ Disciplinam Regularem attinent. Igitur & hæc potestas adstrui Serenissimo debet.

2. Idem clarissimè indicat

S. Synodus Trid. sess. 25. c. 20. de Regul. ubi dispositionem suam sess. 21. c. 8. de Reform. factam, quâ Episcopis datur potestas singulis annis visitandi Monasteria commendata, etiam exempta, & in iis rescindi, quæ renovatione, aut restauratione indigent, limitat quoad Monasteria Commendata, quæ Ordinum suorum Capitibus subsunt, & declarat, hæc Monasteria in iis, quæ aliàs (scilicet sess. 21. c. 8. cit.) de Visitazione Monasteriorum Commendatarum definita sunt, non esse comprehensa, sed visitanda esse per Abbates, qui sunt Capita Ordinum, ac ceteros prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subiectos. Igitur, cum Exceptio firmet Regulam in contrarium, illa Monasteria Commendata, quæ cum reliquis Ordinis Monasteriis unam Communitatem non faciunt, nec uni communi Superiori, aut Prælato Generali, vel Provinciali subsunt, sed independenter ab alio Superiore Regulari extra Monasterium constituto vivunt, licet Exempta sint,

dispositioni ejusdem S. Synodi *sess. 21. c. 8.* subjacent, & singulis annis ab Episcopis, vel aliis, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem ibidem exercent, visitari, & ab istis correctionem etiam quoad Disciplinam Regularem recipere debent.

Quæ causa est, quòd

Card. de Luca de Regular. disc. 74. Et Miscell. Eccl. disc. 54.

inter Monasteria, quæ juxta antiquos mores reguntur singulariter, & de per se absque dependentia ab aliis, & inter illa, quæ quodam Jure Societatis, vel Universitatis reguntur ad formam Reip. sub iisdem Superioribus, & Prælati Generalibus, vel Provincialibus, notabilem invenerit differentiam. Nam quoad priora, cum illa simul sint unum quasi Monasterium intellectuale, vel formale, divisum in tot membra, vel partes materiales, unumque habeant communem supremum Prælatum, adeoque vivere debeant cum eisdem Legibus, & Institutis, idem Eminentiſſimus Author dicit congruum videri, ut ad Generalem, aliòsque Superiores, non ad Commendatarios pertineat Jurisdictio quoad Disciplinam Regularem, & mores Religiosorum. Secus putat sentiendum de Monasteriis Commendatis posterioris generis, in quibus exercetur Regimen singulare, & independenter; cum enim in hujusmodi Monasteriis, licet eidem Regulæ per Fundatorem Religionis præscriptæ, & toti Ordini communi subsint, eamque quoad essentialia observent, non tamen idem ubique modus sit illam observandi, dum, ut praxis docet, alicubi strictior, alibi laxior ejusdem observantia vigeat, in his Monasteriis non eadem intrat ratio, quæ pro prioribus, ut adeo non sit absurdum, si Commendatarius etiam Sæcularis quoad omnia gerat partes Abbatis Titularis. Neque obest, quòd hoc modo Caput quoad Institutum sit diversum à Membris; nam hoc in hujusmodi Monasteriis, quæ per se, & independenter ab aliis vivunt, non est inconveniens adeo magnum, sicut non est inconveniens, & monstruosum, ut Regularis sit Episcopus, aut Prælatus, & Superior Clericorum Sæcularium. Quibus pro fundamento positus, sic argumentor: Juxta Trid. *loc. cit.* in Monasteriis Commendatis quæ non sunt Capita Ordinum, vel istis subsunt, sed independenter, & de per se vivunt, Visitatio annua, & restitutio illorum, quæ renovatione, aut restauratione indigent, pertinet ad Episcopum, vel eum, qui cum Jurisdictione quasi Episcopali tali Ecclesiæ regulari præest. Cum tali Jurisdictione quasi Episcopali Ecclesiæ B. præest Serenissimus C. igitur ad eum quoque Visitatio, & reliqua, quæ ad Disciplinam Regularem vel conservandam, vel restaurandam pertinent, spectare debent, ita ut in omnibus partes proprii Prælati gerere possit, cum & ipsa dicta Ecclesia de per se, & independenter ab aliis vivat, & regatur,

Bbb 3

3. Ea.

21.

3. Eadem potestas erui potest ex Bulla quâ Innocentius XI. Sanct. mem. Serenissimo C. confirmavit Postulationem ipsius Personæ à DD. Canonicis B. factam, ipsümque *Monasterium, & Praposituram cum annexis omnibus Juribus, & pertinentiis suis, Jurisdictionibusque concessit, simulque tribuit illi plenam Jus in Regimine, & administratione prædictis - - in spiritualibus, & temporalibus, & quidem in perpetuum, seu quoad vixerit.* Atqui verba pleno Jure important administrationem, & regimen concessum sine diminutione, & cum omni integritate; Barbof. *ad Claus. pleno Jure. n. 6. & alii ibid. citt.*

Non esset autem concessa cum omni integritate, & sine diminutione Jurisdictionis, si Serenissimus se immiscere non posset quoad ea, quæ Disciplinam Regularem concernunt. Ergo &c. Conf. 1. In eadem Bulla non fit Exceptio ulla Jurisdictionis quoad ipsos Religiosos, & Disciplinam Regularem. Cum ergo juxta Num. 1. Commendatarii perpetui habeant Jurisdictionem omnem, quam Titulares, nisi quoad ea, quæ expresse in Literis Commendationis excepta sunt, hanc ipsam Jurisdictionem, & potestatem se ingerendi quoad ea, quæ ad Disciplinam Regularem spectant, habebit vi Bullæ sibi concessæ Serenissimus. Conf. 2. juxta *c. is, cui. 42. de Elect. in 6.*

is, cui procuratio, seu administratio Cathedralis Ecclesiæ (idem est de Ecclesiis inferioribus) plena, & libera in spiritualibus, & temporalibus à Sede Apostolica - - est commissæ, potest omnia, quæ Jurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ potest electus exequi confirmatus, liberè exercere. Est autem Serenissimo per Bullam allegatam concessa plena & libera administratio Monasterii, & Praposituræ B. Igitur omnem Jurisdictionem vi hujus concessionis Pontificiæ exercere potest, quam exercere posset Prapositus illius Monasterii titularis, & ex ipso Ordine Canonicorum Regularium assumptus. Hic autem posset se ingerere etiam quoad ea, quæ Disciplinam Regularem concernunt. Ergo &c.

22.

4. Accedunt varia præjudicia Jurisdictionis etiam quoad ea, quæ Statum, & Disciplinam Regularem concernunt, per Abbates Commendatarios passim exercitæ. Sic enim 1. apud

Navarr. *Conf. 15. princ. de Prab.* sustinetur Professio cujusdam Monachi Ordinis S. Benedicti, qui habitum Ordinis suscepit è manibus Abbatis Commendatarii, Sic 2. apud

Campanil. *divers. Jur. Can. Rubr. 7. c. 6. n. 99.*

Lucius Cardinalis Monasterii S. Emiliani Civitatis Eugubii Abbas Commendatarius dedit Regularibus illius Monasterii, tanquam sibi subditis, Dimissorias pro Ordinibus suscipiendis, illique in vim illarum sunt ordinati, Sic 3. apud

Card. de Luca *disc. 74. de Regul. n. 9.* non obstante Privilegio concessio Camaldulensibus Anno 1657. Eminentissimo Cardinali Ottobono asserta est Jurisdictionis in Monachos Monasterii S. Mariæ de Vandalitia ejusdem Ordinis Anno 1664. ipsi Commendatarij, quod cum per se regeatur, nec dependeret à Prælo Ordinis Supremo, dictum Monasterium dicto Privilegio non censetur comprehendi, ideoque nec ejus Privilegii clausulâ Juribus Eminentissimi Domini Commendatarii præjudicari, aut ejus Jurisdictionis in Monachos loci ejusdem tolli. Cum igitur etiam Monasterium B. per se, & independentem ab aliis Ordinis Canonicorum Regularium Superioribus regatur, & vivat, salva pariter Serenissimo Commendatario manebit Jurisdictionis in dicti Monasterii Canonicos Regulares etiam quoad Disciplinam Regularem.

5. Optima Legum, & Dispositionum quarumcumque interpretis est Consuetudo.

c. cum dilectus. 8. de Consue. Et l. si de interpretatione. 37. ff. de LL.

præsertim si sit legitime præscripta, & longo usu per contrarios actus non interrupto continuata, cujus ea vis est, ut Jurisdictionem dare, eamque auferre possit, prout patet ex *c. cum contingat. 13. in fin. de for. comper.* Et notat Gloss. *ibid. V. maxime*, alique Canonistæ, & Legistæ in *l. imperium. 3. ff. de Jurisdic.*

Stat autem pro Serenissimo C. Consuetudo præscripta, & tempore non interrupto per integrum Sæculum continuata; cum jam ultra sæculum à Serenissimis Antecessoribus exerciti sint actus Jurisdictionis in ipsos DD. Canonicos B. etiam quoad ea, quæ pertinent ad Disciplinam, & alia Negotia Regularia, ut patet ex antiquis, & authenticis Documentis. His Documentis testibus Serenissimus F. tanquam Prapositus B. 1. Variis variis temporibus, & præsertim Anno 1600. pro reformanda Disciplina Regulari Commissarios ad Canoniam B. misit, quos DD. Canonici ut tales sine contradictione receperunt, & eorundem Statutis paruerunt.

2. Idem Serenissimus Anno 1607. impetratus à Domino E. de L. ut ambo illius filij in Canonicos Regulares reciperebantur, unum ex prædictis Fratribus recipi voluit. 3. Designavit, quinam ad studia Romam, vel Dilingam mitti debeant, quinam ab his revocari. 4. Consensum suum literis 19. Octob. 1611. datis præstitit, ut Dominus Georgius ab E. Domicellaris è Canoniam B. dimitteretur, & Frater ejusdem Joannes Martinus reciperetur. 5. Domino Canonico de R. prohibuit exercitium artis Chymicæ. 6. Anno 1630. 13. Decembr. per constitutos à se DD. Commissarios, & Visitatores circa susceptionem ad Novitiatum, & Professionem, observantiam Votorum substantialium, Divina Officia, & reliquam Disciplinam Regularem varia condidit statuta, & Ordinationes.

tionem, quas etiam DD. Canonicis promulgari fecit, cum præcepto, ut, ne in oblivionem aliquid de his veniat, singulis quatuor temporibus legantur in refectorio post lectionem Regulæ: quæ & plura alia in dictis Documentis, præsertim in Repertorio per vetusto, per Dominum Cancellarium tum temporis existentem 1653. subscripto reperiuntur.

24.

Serenissimi F. Antecessoris sui vestigiis institit hujus Successor Serenissimus M. qui eandem Jurisdictionem cursu non interrupto continuavit, eaque fecit, quæ non nisi à Præpositis ipsam Regulam, & Institutum Canonicorum Regularium professis fieri, & expediri solent. Nam 1. Mandatum, seu Commissionem dedit Reverendissimo Patrio Præposito N. ut nomine ipsius Serenissimi Visitationes in Canonia B. institueret, ubi plura, ad Statum Monasticum, & Regularem Disciplinam pertinentia, ordinavit, quibus ordinationibus ipsum Capitulum B. penitus se subiecit, agnoscendo prædictum Dominum Præpositum N. pro Commissario in Spiritualibus, & illi se in negotiis Regulam concernentibus omnimode submittendo, cujus exemplum est, dum 2. Ad eundem Præpositum N. tanquam constitutum à Serenissimo M. prædicto Commissarium, & Visitatorem, Dominus Joannes Z. Decanus per Literas 1. April. 1683. datas de collapsa Disciplina Regulari varias, justissimasque querelas deposuit, & reformari defectus hos petiit: ad quas Literas 3. Prædictus Dominus Commissarius, adjectâ causâ, quod à Serenissimo M. mandato cum libera instructus sit ea omnia statuendi, ordinandi, ac introducendi, quæcunque convenientia judicaverit, eodem Anno 1683. 3. Mensis prædicti responsum dedit, & puncta sibi proposita approbavit. 4. Ad eum ipsum Commissarium Dominus Canonicus Regularis W. de G. datis Literis 8. Maji Anno prædicto recurrit, & postquam gravem, ac diuturnam corporis sui infirmitatem in his exposuit, per JESU Christi amorem rogavit, ut ex Monasterio B. ad aliquod tempus, usque dum ipsi sanitati restituatur, discedere ipsi liceat cum venia Serenissimi M. quam impetrari sibi à Domino Commissario petiit. 5. Ad sunt Literæ de dato 31. Jul. Anno 1683. in quibus antè dictus Dominus Decanus Joannes Z. resignationem Decanatus Reverendissimo Commissario sæpe memorato Domino Præposito N. insinuavit, addiditque se pro gratia habere, si Serenissimus M. consentiat, ut à memorato Decanatus officio discedere ipsi liceat. 6. Habentur aliæ Literæ de dato 29. Jul. 1683. in quibus Senior Capituli Joannes B. palam fatetur, quod Serenissimi M. Consensu à Capitulo B. specialiter petendus, & requirendus sit, ut Novitius Floridus B. ad Professionem admitti possit. 7. Accedunt aliæ Literæ ab ipso Decano Do-

mino Joanne Z. ad sæpe dictum Præpositum N. scriptæ, & ibidem 26. Aug. 1683. præsentatæ, in quibus præfatus Dominus Decanus clarissimis verbis exprimit Serenissimi M. Consensum ob imminentem prædicti Novitii Floridi Professionem à Capitulo B. actualiter fuisse requisitum, & expectari quidem responsum, hoc ipsum tamen suppleri posse, si sæpe memoratus Dominus Præpositus N. ex potestate ipsi à Serenissimo specialiter delegatâ Consensum suum autoritative interponat. 8. Plures ostendi possunt Literæ, in quibus Canonicus B. à Præposito N. tanquam Serenissimi M. constituto Commissario licentiam petierunt aliò proficiscendi ad amicos, & consanguineos visitandos: & sic licentiam proficiscendi Monachium 11. Aug. 1683. ab eodem Præposito petiit Dominus de G. Canonicus Regularis dictæ Ecclesiæ B. & Dominus Joannes B. Senior 18. Sept. ejusdem anni licentiam petiit eundi in Italiam, de cujus licentiæ modo dicto Domino Seniori datæ tenore, & extensione cum dubitaret Dominus Decanus Joannes Z. informationem per Literas 15. April. 1684. datas à sæpe dicto Præposito N. petiit. 9. Extant Literæ de dato 14. April. 1688. nomine Capituli B. scriptæ, & à DD. Decano, & Vice-Decano tum temporis existentibus subscriptæ, quibus rogatus fuit Præpositus N. tanquam Commissarius Serenissimi M. ut Franciscum de L. qui ob corporis invaletudinem ex Novitiatu ad tempus dimissus fuit, iterum admitti petentem tamdiu apud se subsistere permitteret, donec ab ipso Serenissimo, cujus Consensus ad hoc petebatur, responsum adveniret, quod etiam actualiter subsecutum est in Literis de dato 24. Maji 1688. in quibus Serenissimus in hæc verba rescripsit: Quod concernit readmissionem Baronis de L. in Monasterium nostrum B. quia ab infirmitate sua reconvaluit, Capitulum etiam nostrum B. existimat, dictum Baronem de L. bonis qualitatibus præditum, ideo Conclusum Capitulare approbamus, & ratificamus, ita tamen, ut readmittendus Novitius per bimestre adhuc tentetur, spiritusque ejus probetur, ac demum ad Professionem admittatur.

25.

Porro hujus Jurisdictionis omnimodæ usum, quo duo prædicti Serenissimi Antecessores gaudebant, usque ad tempus motæ absque contradictione DD. Canonicorum B. semper continuavit hodiernus Serenissimus Præpositus, ita quidem, ut nec tempore, quo ipse Præposituram hanc obtinet, exceptis ultimis post litem motam annis, nec tempore Serenissimorum Antecessorum, ullus reperiat actus contrarius, quo ostendi posset, quod aliquando ante hæc ultima tempora Serenissimis Præposituram B. obtinentibus in controversiam tracta sit Jurisdictio ingerendi se etiam quoad ea, quæ ad Disciplinam Regularem pertinent. Quæ omnia clarè,

clare, imò evidenter ostendunt, si alio ex capite Jurisdictio controverla Serenissimo non competeret, eam saltem viâ legitimæ Præscriptionis Ipsi, & Serenissimis Antecessoribus fuisse acquisitam, cum omnia ad legitimam Præscriptionem requisita in præsentii Casu concurrant. Nam 1. Ipsa res, seu Jurisdictio est præscribibilis; nam Jurisdictio, ut supra dixi, consuetudine, consequenter etiam Præscriptione acquiri potest. 2. Adest bona fides; quis enim malæ fidei, aut violentiæ inculset possessionem tanto tempore, nemine eorum, ad quos pertinebat, usque ad ultima hæc tempora contradicente continuatam? 3. Non deficit justus Titulus, quippe quem dedit ipsa Bulla Aposto-

lica concedens Serenissimo hodierno, & Serenissimis Antecessoribus plenum Jus in Re-gimine, & administratione Monasterii, & Præposituræ in spiritualibus, & temporalibus. 4. De tempore legitime continuatæ Possessionis dubitari nequit, cum illud sit plus quam centenarium, nec ostendi usque ad tempus motæ litis possit actus, quo Jurisdictio ista in controversiam tracta, vel aliquid illi contrarium tentatum fuerit. Ut adeo urgentissima Argumenta ostendant, optime fundatam esse Serenissimo Electori Jurisdictionem, & potestatem ingerendi se etiam quoad ea, quæ Disciplinam Regularem concernunt.

* * *

CONSILIIUM XLII.

Rechtliches Gutachten den von einer Löbl. Stadt A. an den auch Löbl. Spital H. wegen empfangenen Darlehens per 800. fl. cum pacto Antichretico überlassenen Wiß-Grund betreffend.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti Species.
5. Quæstiones discutienda.
6. seqq. Rationes dubitandi desumpta ex Læsione ultra dimidium per pactum antichreticum.
10. Defenditur aequitas Contractus.
11. Pretia rerum non statuuntur ex singulari unius affectione.
12. In æstimanda Læsione attendendum est pretium, quod erat justum tempore contractus.
13. Ad justum pretium determinandum, attendi debet certitudo, vel incertitudo futuri eventus.
14. Et alia circumstantia:
15. Servata etiam proportione pretii infimi & summi.
16. & seqq. Circumstantia in præsentii casu diminuentis pretium fructuum per pactum Antichreticum concessorum.
21. Renunciare quis potest Remedio Legis ad rescissionem contractus concessio.
22. Præcipue si Renunciatio sit jurata.
23. Nequaquam tamen, si Læsiō sit enormissima.
24. Qualis non datur in subtrato Casu.
25. seqq. In casu Læsionis, electio est Emptionis, utrum malit rescindi contractum; an vero addere supplementum pretii.
28. Conductor prædii Rustici non potest expelli a Locatore ob necessitatem ad usus proprios.
29. Qualis necessitas requiratur ad expellendum Conductorem etiam in prædio urbano.
31. seqq. Responderetur ad opposita argumenta.

FACTI SPECIES.

I.

S haben vor allbereith zwölff Jahren, wie solches der hierüber de dato den 23. Febr. Anno 1708. aufgerichtete Contract-Brieff weiset, die wohlweise Herren Burgermeister, und Rath einer Löbl. Stadt A. von damahligen Herrn Verwalter des Löbl. Spitals H. nach ehevor von Landfürstl. Regierung erhaltenen Gnädigsten Consens, ein Anlehen von 800. fl. paaren Geld empfangen, solches auch zu dalsiger Burgerschaft Wohlfarth, und

Nutzen, wie solches besagte Herren Burgermeister, und Rath in mentionirtem Contract-Brieff ausdrückentlich caviret, vera wendet; hingegen aber ihme Herrn Verwalter und seinen Nachkommen zur Versicherung gedachten Anlehens zehn Tage werck mit Holz angefohenen Wiß-Grund zu W. wie solcher durch die adhibirte Geldmessen bereits gemessen, und vermarktet worden, cum pacto Antichretico, und bestgestalten übergeben, daß Herr Verwalter und Nachkommen solchen Grund und Boden auf eigne Kosten zu zwey mädigen Wißen bereiten, und selbe an statt des Landbräuchlichen Interesse besitzen, auch jährlich ohne andere